Treteri Matthiae Casim: Munus parentale magnis manibus Sereniss. et Fortiss. Principis ac d. d. Vladislai IV etc



MVNVS PARENTALE

Magnis Manibus

SERENISSIMI & INVICTISSIMI

PRINCIPIS,

Ac Domini, D.

VLADISLAI IV.

DEI GRATIA

REGIS POLONIÆ,

MAGNI DVCIS LITHVANIÆ,

Rusſiæ, Prusſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæque,

NEC NON

Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Hæreditarij REGIS.

Ad Ferale buſtum

Per

M. MATTHIAM CASIMIRVM TRETERVM,
Artium Magiſtrum, & Philoſophiæ Doctorem, Academiæ Crac. Profeſſorem

PRÆSENTATVM.

Anno à Partu Virginis 1649. Menſe Ian. Die 1

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Franciſci Cæſarij, S. R. M. Typographi.

VIRTUS
JLLUSTRISSIMÆ PROSAPIÆ
VESSELENORUM.





ILLVSTRISSIMO COMITI,

Ac Magnifico Domino, Domino,

D. FRANCISCO

DE HADAD

VESSELENI,

Perpetuo in Muran ac Comitatûs Borſodieñ.

SVPREMO COMITI,

Sacræ Cæſareæ Regiæq́ue Maieſtatis


CONSILIARIO ac CAMERARIO,

Partium Regni Vngariæ Superiorum

GENERALI,

Nec non Regni Poloniæ Equiti, &c. &c.

Domino, Dño, ac Mecænati Colendiſſimo.



Niuerſalis iſte dolor, qui in totam ſeſe effudit SARMATIAM, *etiam meum exciuit calamum, vt Regale funus, atratâ proſequerer in paginâ Illuſtriſſime* COMES; *& inſperatum hunc* LECHICI *Solis occaſum, Parentalibus lugubris ſepiæ exciperem tenebris. Quid enim ego ſolus iàm inciuilis eſſem, vt ab hac publici doloris communione abeſſe, nec illi inſcriptus, nomen meum dare vellem? adeò infidelis, vt Regalem Aquilam, ad mortuales properantem nidos, cùm illi ſubiecta ſim Volucris, mæſtâ pennâ ſequi recuſarem? Sed retraxit me ſubitò, de viâ intercurrẽs tantæ Maieſtatis Lictor neceſſitas, & populari* dictioni,

dictioni, propiore Regis congressu interdicto, quærere Patronum iussit, in cuius tutus comitatu, feliciori cothurno, obire totum feralis huius Pompæ spectaculum possem. Circumferenti auidos oculos, pellexit cunctantem Illustrissima Celsitudo Tua, vt ad eius me aggregarem famulitium, cui obuiam venit officiosa Musa mea, & de Academica Porticu, ad tanti Mecænatis properat Aulam. Optabam equidem lætiori aliquo munere, primum propensæ voluntatis pendere Tibi debitum Illustrissime Domine; Sed quoniam publici dolores talem dedêre viam, ad Tuos demerendum Honores, per Fata Regalia, aditum sibi sternit Tributaria Pallas, ad Tua obsequia. Nec profectò alibi meliùs conquiescere potuit Serenissimus VLADISLAVS, *quàm in sinu Tuo: Geres (opinor) tutelam Tutoris quondam Tui; & Regiam Maiestatem, à mortali impetitam hastá, ne vlteriùs malignis inuidorum oppugnetur telis, Martiali Styrpis Tuæ proteges Insigni. Nec miraberis Illustriss.*COMES *minùs cultum, & à Regali pompâ destitutum ad manus Tuas deduci* VLADISLAVM; *Exuit illum omni debiti decoris apparatu importuna Mors; omnemq́ Numerosæ illius gloriæ computum, vnica hæc superueniens, cancellauit ciphra. Nihil hic leges Illustrissime Domine nisi pullatum, & lacrymis ad singulas cadentibus voces lituratum magis, quàm literatum; Rapuit vti è Regali Curiâ, ita ex nostrâ quoque Eloquentiâ, omnem vetustatis purpuram ferox Libitina, & exanguis hæc Dea, exanguem pallere coëgit Orationem, vbi præsertim alius, à supertonantibus hostium armis, fulgurat terror. Sed non tamen omninò suis viduata decoribus properat Oratio, quorum maximus Ille de QVO, & Tu CVI mea texitur Eloquentia. Sub tantis Nominibus, secura venit Pallas mea, magnam vbique habitura attentionem, quam* VLADISLAVS *victricibus indixit armis; magnam beneuolentiam, quæ in Te publico (dicam verè) Sarmatiæ Vngariæq́ coiens delicio, vna Tecum, quod spero, precorq́ ad hanc deflectet paginam.*

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

Obsequentium humillimus

M. Matthias Casimirus Treterus.



ORATIO.

RAVE & inopinatum Sereniſſimi VLADISLAI IV. Poloniæ Electi, Sueciæ Hæreditarij Regis, (vtinam ſpectauiſſemus nunquam) inter tot publica Fata, ſpectamus Fatum. Attonita nuper fortunatis ipſius victorijs Polonia, & tot triumphatorum hoſtium adornata exuuijs, mortales illius, ipſius Triũphatoris, ad tumulum ducit exuuias; inque hoc quinquepedalis vrnæ ſpatio, nimis ſpatioſum, & Orbis totius capacem circumſcribit genium. Iacet in lugubri feralis feretri Theatro, Magnus ille, immortalis gloriæ quondam Actor, nunc mortalis Tragediæ luſus VLADISLAVS; & qui in vitâ omnem, Nomine, Numineque ſuo, latè proiecti Orbis, impleuerat locum, in morte nimis ſtrictâ abbreuiatus diminutione, vix arctum implet locum. Ah inimicam, in noſtroſque luctus nimis ſeriam, Fatorum ſeriem! Ah immitem ferocis Libitinæ audaciam! quæ inter ipſas veri delicias, Gentilitium tanti Regis, inopinâ falce ſuccidit Manipulum; nec expectatâ grandioris gloriæ meſſe, pænè ſuo Maio herbeſcentes ſpes noſtras, ad ſubterranea deuehit horrea. Si aliqua cum atrocibus daretur Parcis licitandi libertas, emiſſo repentè taciti doloris apparitore, ream læſæ Maieſtatis, adcitaremus mortem, quæ, non ſeruatâ debitæ venerationis politie, violentas manus Sereniſſimo Regi noſtro inferre præſumpſit: Sed enim, cum vltimo huic rerum omnium termino, nullus vlterior proſtet terminus, & præſens Interregni tempus, indicto Iuſtitio, omnia occluſerit Iudiciorum fora, ab iniurioſa Actione, ad queruloſam conuertamur plorationem, nauigantemque à nobis, & ab immiti portitore auectum VLADISLAVM, publicis ſu-

ſpiriorum proſequamur Zephyris. At cur in ipſis primordijs laſſatus torpet animus? an victus dolendi mole dolor, fatiſcit ſub onere? & inter promiſcuas has totius Reipub. lacrymas, naufragari ipſa metuit penna? Certè cùm in vaſtiſsimum hunc vdi doloris Oceanum, rudem expedire attento calamum, verendum mihi meritò venit, ne tantis inuolutus fluctibus, Caſus, dùm luget alienos, ferat ſuos, & Regali commoriens fortunæ, laceras in chartaceâ hac tabulâ, ægrè ad portum deducat literas. Quid enim ego, inani verborum ambitu, querulos ſtruam leſſus? quid funerali Næniarum Syrmate, lugubrem inueſtiam paginam; cùm rudes hos literati doloris planctus, cancellet illa (quemadmodum nuncupatur) vltima rerum linea Mors? cadenteſq; è vultu lacrymæ, totam turpibus lituris aboleant orationem, mergant vocem? Prorumpe tamen, ſine lege, ſine pompâ, inordinate dolor, & elatum ad Parentale funus Regem, atrato proſequere inamictu; poſt feralemque hanc Poloni ſolis Eclypſim, chartam ipſam, luctuoſis plangentis ſepiæ, inueſti tenebris. Si verò ipſe calamus, in lacrymabilem liqueſcens guttam, minùs comptam ad buſta VLADISLAI texuerit Panegyrim, dabitur ſpero venia exlegi luctui, inter has præcipuè, obmuteſcentium legum, ferales ferias, ſine lege peroraturo; Neq; enim mihi hîc animus, viuam Sereniſſimi VLADISLAI, ah Mortui! ſub aſpectum dare effigiem, ſed ſuffecerit paucas gloriæ illius ducere vmbras, dùm totam illam gloriam inimica Mors, Sarcophagi obiectu inumbrat. Aduerte oculos, quiſquis Regalis Fati, & circũpedis luctûs, ſpectator es, & ſicubi, Aulicus ſermonis nitor, venuſtaque dictionis defuerit purpura, Mortem non Auctorem incuſa, quæ rubeos hos murices, vti in Corona, ſic quoque obfuſcauit in pagina.

Ad vrnam Sereniſſimi VLADISLAI IV. ſtamus, vbi euocat arctiorem planctum infeſſus dolor, & diffuſa in gemitus, cùm ipſa egeat, nihil ſolatij affundit Eloquentia. Ad vrnam ſtamus, quâ licet vnâ, tot iterato luctu ſepelimus Reges, quot VLADISLAOS, quot victorioſos, orbemque, vel gladio, vel elogio meritos Principes, mæſta tumulauit Polonia. Illuxerat ille Auitæ, Paternæque, immò tot Regum, tot Cæſarum virtutis & gloriæ Hæres; Prodierat è Regali toro, ad Regalem deſtinatus thronum, Magnorum imperiorum futurus Succeſſor; & in hunc mortalis terræ orbem, ſub auguſto, Paterni Diadematis, effuſus eſt orbe: Nempè, ita decebat, vt

ad Sar-

ad Sarmatici Paludamenti vocatus olim purpuram, à paludati ſanguinis murice,ſuum traheret ruborem; & conſimilem ſequenti vitæ nactus ortum, ad Regna, per Reges, initiaretur; dignîſque ſceptro virtutibus, ſimul cum infantili lacte illactaretur. Hoc verò ad ſummam VLADISLAI gloriam ſpectare videbatur, vt in Patre ac Matre,coaceruatis totius Europæ decoribus, ex tanto, confluentis in vnum, gloriæ fluento,vnus iſte promanaret riuus; Factus, antecedentium ætatum compendium,ſequentium exemplum. Vt enim magna flumina è pluribus coaleſcunt vndis, ſic quos fortuna plurium directores eſſe voluit, è plurium delibatis ſtruuntur honoribus, multiplicemque, Illuſtrium Auorum, excipiunt gloriam, naſcendo, qui eam multiplici auctu,ſunt propagaturi viuendo. Natus autem eſt VLADISLAVS IV. ex Auguſtâ Polonorum Suecorumque Regum ſtirpe,Iagellonio & Auſtriaco,vtrinq; inundatus ſanguine; à quo non degener ille animus, ita ſemper omnem vitæ ſuæ componebat tractum, ne Auguſtam Stirpem,diſpari viuendi ritu anguſtaret, ſed per quotidiana creſcentis cum ſtatura famæ augmenta, nouas ſemper, & Regales, Regali geneſi pareret auxeſes. Solent curioſi Magnatum aſſentatores, Cœlum quoque ad Regias vocare cunas, & ab illa ſuperiorum luminum habitudine, de infantili recèns naſcentium Principum coniectari lumine; Quaſiuerò, maiores illæ faces ſuperiacentis ætheris; minoribus his terrarum ſplendoribus, vel conuenienter adluceant, vel de illorum vlteriori progreſſu, præſago ore ediſſerant. Atque ita gloriatur Auguſtus, veniente ad ſuos ortus, Capricorno; Coſdroas Perſarum Tyrannus, ſerpente, ſub cuius Genethliacâ luce, ſolarem primùm aſpexit lucem. Sereniſſimo VLADISLAO, equidem,quænam in cælis præluxerint ſidera? quinam ex illâ Empyreorum ignium Aulâ, occurrerint anteambulones? neſcio! In Natiuo tamen Poloniæ polo, magna iam inde præiuiſſe illi Omina,magnas effulſiſſe ſpes aduerto. Naſcituro Alexandro Macedoni, geminæ anteuolauêre Aquilæ, & Regale genitalis domûs culmen, Regales inſidendo alites, primam dedêre, tam nobili infanti,obſequij penſionem; profuturique Terrarum Domitoris,felici introitu, domitores ipſæ volucrium, totâ nocte peruigiles exegêre excubias; Geminas & ego, in Gentilitijs vtriuſq; Parentis Ceris cerno Aquilas, quæ Principi noſtro mortalem deſignauêre ſtationem, vtq; Sarmatico huic Ioui Armigeræ eſſent,in Gentilitijs emicuêre armis.

Benè verò candidans altera, nigra alia, mirabili fœdere ad feliciſſimas VLADISLAI coière Cunas, vt ex hoc oppoſitorum ſibi colorũ temperamento, gratior purpuræ Regalis prodiret rubor, & iam inde diſceret viſus primùm orbis, à nouo hoc ſui Aduena, Album Patriæ, Atrum Barbariæ, ferri decerniuę calculum. Neque hic ſignorum modus; Fateri apertiùs naſcentem Regem Triones noſtri voluêre, dum, non tantùm præcurſores volucrum Reges, ſed ipſa Regalium frontium inſignia, in Suetico Stemmate, ad cunas ſubmiſêre; Nec ambiat tam ſacrum caput, illa, à Libero profanata, illiberæ Ariadnes Corona, Cœlum virginitatis propudio, ſtupri, impendio merita: Feliciùs ad infantilem frontem, terna confluxêre Diademata; vnum enim non ſuffeciſſet illi, cui æquè ac Pelæo iuueni, vnus non ſuffecit orbis. Atque vt Natali huic Pompæ, aptus etiam conſonaret dies, ita Supera tẽperauêre Fata, vt illâ luce in mortalem veniret lucem, quâ Inuictiſſimorum Martyrum, Primi & Feliciani, ſolennis exigitur memoria; prænunciante iam inde fortunâ VLADISLAVM IV. primum in Hyperboreis hiſce fore ditionibus, qui felicitate Atauis, Maioribuſque proprijs antiſtaret. Ab his fortunati ortûs præludijs, facilè iam patebat, quemnam poſt hos primitiuæ fortunæ prologos, daturus erat Actum, vbi è puerilibus euolutus faſcijs, ad debitos deueniſſet Faſces, Dominatricemque induens perſonam, vota noſtra, & Fata oſtentaque implere cæpiſſet ſua. Reſplenduiſſe ſibi Sarmatia viſa in Regis huius Natiuitate, ſed meliore, quàm Hecuba à nato Paride, face; ita enim communem aſpexit lucem, vt illuſtraret, ita publicum vidit ſolem, vt, vel in Materno circumlatus vtero, grande quidpiam per Puerperæ Parentis faciem, inſolitumque decus fulguraret. Sed quorſùm ego tàm curioſo oculo Natales VLADISLAI IV. perluſtro cunas, dùm fatales præ oculis adſtant tumbæ? laudis illæ, hæ mæroris, vtraque Eloquentiæ excedunt vires. Procede vlteriùs obſecunde calame, & Magnum hunc Principem, firmato iam greſſu, ad ſumma enitentem, pediſſequo conſectare veſtigio. Naſci inter Faſces, & purpurato innutriri ſanguine, etſi laude veneratione que dignum, quia tamen è ſortis magis, quàm virtutis, arbitrio dimanat, pretium ponduſque doni, à donantis leuitate minuit, & minùs clarum videtur, quòd cæca hæc Dea, pro libitu effouerit: Nã cùm nemo ex cunctis terrarum inquilinis, in proprias vſquam laboret Faſcias, & ignorantes nos illæ occupent, ac ad quæuis Mapalia

Magna-

Magnaliaque æqualiter ambitioſos; demi non nihil æſtimationis neceſsùm eſt illis curulibus, quarum diſpenſatrix ſemper eſt fortuita licentia, particeps autem ſæpè fit etiam indigna maleuolentia: Vni hoc contigit VLADISLAO Noſtro, quòd natus ſit in Regali dignitate, non ſine dignitate, habueritque id, antequam meritus eſſet, quod poſtea meritus eſt, vt haberet. Patuit magna illa indoles, à primo ſtatim annorum tyrocinio, cùm pænè puer, ad Moſchouitas vocatus Tiaras, ſuppar ab ipſis Barbaris iudicatus eſt, qui Ampliſſimi illius Ducatûs molem, impubere capite ſuſtentaret. Cogitare magis quàm eloqui fas eſt, quantus ille, Vladiſlauianæ virtutis, pænè inter puerilia crepundia emicuerit ſplendor, qui, vel immanes obſitæ cæco gelu Moſchouiæ oculos, pellexit in Amorem. Vlyſſes credo aliquis in illa repertus eſt barbarie, qui Bellatorem hunc Achillem, inter Virginis Mineruæ adhuc detentum otia, ad Imperatorias præmonſtrauit clauâs. Securus poteſt eſſe VLADISLAVS de omnium ætatum, ſæculorumque aſcenſu, qui nondum tantus, in eum deduxit ſtuporem perfidam Moſchouiam, vt cùm Patrem impeteret prælio, Filium appeteret Imperio; & quindenni acclinis Puero, vltrò cum Imperatoria ſupplicaret Tiara, etiam viris fortibuſq; metuenda. Sed enim ſuffecerit Moſchouiæ habere VLADISLAVM potuiſſe; compoſito iam enim Ducatûs illius ſtatu, exactâq; Sacramenti fide, Indignos oſtendit fortuna Barbaros, quibus tam Dignus Princeps præeſſet. Inde verò gratari multùm prouidis debemus Fatis, quòd priùs fidem iuratam exuerint Barbari, quàm Tiaram induerit VLADISLAVS, properauerintq; ante poſſeſſum Diadema rebellionem, quam niſi maturâſſent, circumuentus inter limites hoſtiles Princeps, immatutâ forſitan clade, Barbaris parentâſſet. Non tamen impunè præterijt Veſana illa licentia, & ludicra illa, Perſonatum Ducem, facientium ſibi Moſchorum ſcena, n fatalem ipſis deſciuit Tragœdiã: Senſêre vltricẽ VLADISLAI dexteram infidæ factioſorum dextræ, & multi, qui repudiatâ Sacramenti Maieſtate, ad tantam recuſarunt ſubmitti Maieſtatem, deciſo, repentè minores effecti, collo, aduolui VLADISLAI pedibus debuêre, abſectoq; capite, fateri conati ſunt, Principem noſtrum verũ ſuum eſſe caput. A gelido Septemtrione, me, Sereniſſimumq; VLADISLAVM, citat Oriens. Mittamus iam Moſchouiam vltrò à Principe noſtro dimiſſam, & Soli noſtro, inter Orientales bellorum nubes, ſereniſſimè orienti, debito acclinemur

ritu, & lunemus noſtros, dum lunat Victori ſuos poplites, Othomanica Luna. Theatrum mihi quoddã explicuiſſe ad Chocimum fortuna videtur, in quo collati duo totius Orbis Maximi Principes, Annis, Animis, Armiſq; propemodum pares, de Terrarum, ac Æternitatis orbe, ad certamen deſcenderunt. Feralis ſanè circus ille, in quo à bellicâ Monomachiâ, ad Mundanam properabatur Monarchiam; & in quo renouato Pelæi Hymenæi more, iactum orbis pomum, Digniſſimo propoſuerat Diſcordia, quod alterutri ex illo Principum Pari, non diremptor Paris, ſed ſua cuiq; Parma pareret. Felicior tamẽ VLADISLAO Noſtro obtigit conditio, qui minor quidem quantitate molis, ſed maior virtutis, illum latè fuſum totius orbis exercitũ, fundi quoq; poſſe docuit, & impar numero, ſed animo ſuperior, innumeras Oſmani legiones, gladio fortunatè computauit. Et in hunc ni fallor finem, ex omnibus mundi partibus, ſuum, Veſanus ille Tyrannus, accerſiuit militem, vt in tanto tot gentiũ ſpectaculo, turpiùs vinceretur; haberetque deinde Sereniſſimus VLADISLAVS plures fortitudinis ſuæ teſtes, quos fecerat eiuſdem patientes. Certè Fugata deinde illa Turcicorum Caſtrorũ Turba, circumtulit VLADISLAI Noſtri Nomen, ferali enſium ſtylo, benè ſuis iugulis impreſſum; & ignotis etiam regionibus, hianti illo cicatricum ore, Sarmaticam enarrauit victoriam. Non ampliùs de limitaneis finibus licitari barbarè, iam pridem in illa Commiſſarum inter ſe Orbis virium Commiſſione, Felix decidit VLADISLAVS; Dùm exſtructis ex hoſtili cadauerum mole aggeribus, Paternos Lechiæ fines, clade diſlimitauit Barbariæ. Senſit id attrita clade ſuâ Aſia, quam in exitium noſtrum, propria exciuerat ſuperbia, in exitium verò proprium, Vladiſlauiana retudit vigilantia. Quid dico Aſia? Orbis totus in illis Chocimenſibus Campis, ab Oſmano concentratus, VLADISLAI adorauit gloriam, dùm pacem ab obſeſſo, obſidens orauit. Satis magnum perennitati Tuæ ſtruxiſti monumentum VLADISLAE, dum toti mundo reuerentiam Tui extorſiſti! qui in Othomanicâ Lunatus Tibi Lunâ, oſtendit aliquid eſſe in Te, quòd Timor ille totius orbis timeret. Auguſtiſſimi tui cineres, afflantes gloriæ odorem fragrantiſſimum, nanciſcentur olim rediuiuos Homeros, qui Tuorum Triumphorum Iliadas, æternis inſculpãt Faſtis, quibus Macedones Alexandros, à Sigeo, Romanos Iulios, à Gadibus, ad ambitioſam æmulationem inflammabunt: accedent ad Oſſium Tuorum monumenta, poſthumi venturarum

turarum

turarum ætatum Heroes, vt vel in demortuo puluere, non emoriturã ſpectent gloriam Tuam, & meliùs quàm Themiſtocles à viſis Milciadis Trophæis, excuſſo veterno, ad fortitudinem incaleſcant. Neque mirùm, quòd VLADISLAVM mirabantur Gentes; præmonſtrat illum omnibus ſæculis virtus ſua, quâ contra Xerxis æmulum, vix aliquantùm mole caſtrorum minorem, ipſe nouus Epaminondas, ad Chocimenſes Thermopylas depugnauit; paruâque manu, auidas illas, innumeri exercitûs, manus, ad manes abire coëgit. Caneſcit hucuſque indecoris oſſibus, nobilior Cannenſi clade, in Valachiâ Thracum ſtrues; & muto illo cadauerum ſilentio, Barbaram commonet ambitionem, ne in Sarmaticas vſquam hient Coronas, ad quas antequàm acceditur, tàm funeſto caſu acciditur. Nunquàm credo Luna Othomanica minor extitit, quàm, cùm è viciniâ ſolem Vladiſlauianæ gloriæ oppoſitum habuit, à quo niſi tempeſtiuè obſcurior receſſiſſet, lumen integrum exuiſſet. Ridet nunc Orbis territum à VLADISLAO terrorem ſuum, quem ille cahinni metam ſemper habuit; & miratur auidas illas Oſmani palmas, quas inijcere catenatæ meditabatur Poloniæ, à palmatis VLADISLAI repreſſas trophæis, tantundem profeciſſe cum Lechico ſolo, quantùm Xerxes cum ſuo Helleſponto. Poſt tantam verò, tàmque inſignem de fugato Thrace victoriã, hamauerat ſibi VLADISLAVS, non Polonorum tantùm, ſed Regum & Principum Amores, pro quorum ſalute, ſalutem ſuam, Marti & Morti deuouerat. Videre erat, cùm Exteras peregrino pede tranſiret Nationes, quantus vbiq; occurrentium, quantus admirantium populorum, penderet cætus. Rapiebantur omnes in nouum ſtuporem, dùm præ ſuis haberent oculis illum, ad cuius aſpectum, Lunatici Barbarorum, in cæcam mortem, caligauêre oculi; Dùm inquam eum cernerẽt, qui circumductis vndique preſſus ab hoſte Caſtris, hoſtem tamen depreſſit; & ſitientem noſtri ſanguinis, proprio abundè ſanguine potauit. Verùm, poſt has partim bellicas in Valachia, partim pacatas in Germania peregrinationes, quieſcendum tandem VLADISLAO in Regali throno erat; & feſſum defeſſi orbis curis caput, in Auguſto Sarmatici Orbis componendum Orbe: Hoc ſcilicet ei pridem & publica vota, & priuata ipſius portendebant merita, dùm tot præliorum exercitus exercitibus, ſub gladio primùm erudijt manum, quàm adhibiturus erat Sceptro; Abundèque Martij illi ignes, ad Co-

ronam, meliùs quàm ſuæ Timoleonti, aut Seruilio faces præluce-bant; Ita ordinante fortunâ, vt deuictis corporibus hoſtium, Victor euaderet ſubditarum mentium: & euectus ad ſolium magnitudinem ſuam, eò latiùs triumphaatis hoſtibus aperiret, quò altiùs. Illud me ſummam rapit in admiraionem, quòd Sereniſſimus iſte Princeps,ita omnes in ſui rapuerat Amorem,vt raro Sarmatiæ exemplo, vnus eſſet, in quem vnanimia Nobilitatis vota conſpirarent; vnus eſſet, qui à liberâ Gente, liberis electus ſuffragijs, diſcordem aliàs Procerum ſenſum, concorditer expertus ſit. Quærunt hæc alij, à quibus V L A D I S L A V S quæſitus eſt, multique ſæpè Proci, noſtram, & præmio, & prælio ſolicitauêre Aquilam, vt pro illis, natiuo ſuo candori, concolorem ferret calculum; at enim V L A D I-S L A V S, neque arma mouit, Quam certior Regnorum cuſtos ducebat, regnantium Amor; neque mercari volebat, quod mereri poterat; Vectigales tantæ virtuti imminebant Coronæ, noluit vt eſſent venales: Nihil illum vnquàm facere vidim⁹, vt imperaret,etiãſi omnia faceret, vt imperare deberet, Solius cupiens Ambitûs eſſe reus, ne quidquam ambiret, ſed ambiretur. Nec mutauit in illo obtenta Maieſtas morum comitatem, idem ſemper compertus eſt fuiſſe, qui fuerat, nihilque illi per dignitatem vnquam licuit, quod antea pet voluntatem non licuerat; Nullus illum elatioris oculi, nullus nauſeabũdum comperit; Patebant cuiuis ad eum inobſepti aditus, neque in Principe tanto vnquam viſa eſt inacceſſa Maieſtas; pæneque nullo alio dignoſcebatur à cæteris, quàm quòd benefaceret cæteris; Eum ratus eſſe maiorem Regem, qui magis de ſuorum ſalute anxius, vti ſupra omnes, ita ad omnes emineat. Opportunè verò in primo ſtatim Regni limine,patuit illi grande ad magnos auſus limen, rebelliſque interea Moſchouia, quem recuſauerat Principem oppugnauit Regem; ita ſemper coordinantibus Fatis, ne victorioſæ illi menti vnquam deeſſet,quod vinceretur. Itaque Oriente debellato, ad Septemtrionem victricia arma conuertit, & Orientalium Trophæorum æſtus, Hyperboreis temperauit frigoribus; Quanquam ardor ille inſuperabilis, non tantùm à Moſchouitico gelu non refrixit, ſed mirâ Antiperiſtaſi, ab ipſo intenſus, contrariorum obiectu, in grandem gloriæ flammam eualuit. Nemini ab Orbe condito, fortuna ſimilis arriſit, quæ pari trophæorum tenore cuique famularetur, plerumque enim vnâ manu propitia, nec ambabus

babus dextra est: at cùm ad VLADISLAVM nostrum venit, sese quodammodo exuit, dùm abdicatâ mutabilitate, constantiam trophæorum professa est. Magnus proculdubiò fuit ille Iupiter, cuius Armigera Aquila, venenatos Draconis Moschi afflatus, ità elusit, vt regeret; circumductoque vndique mortali igne, obsessum Fatalemque hunc scorpionem, eò adegit, vt proprio aculeo in se desæuire, & morsu proprio perire, ne periret, debuerit. Sed ne tam nobilis Triumphi celeriter decurramus spectaculum, quod VLADISLAVS iste, per multa, & temporis, & Orbis extendit spatia, totam illam Moschouiticæ cladis pompam, grandiori cothurno in arenam producamus. Primus tantæ victoriæ gradus à populatione Vesani Populi cæpit, & vltricibus vndique flammis, vincendæ Moschicæ hyemi prolusum. Vsurpare poterat Serenissimus VLADISLAVS Iulianum illud: *Veni, Vidi, Vici*, si non priùs vicerit, quàm venerit, cùm aduentus illius, vulgato rumore, hostis breui casurus, ab obsidione non nihil cesserit. Inauditùm est potentiam voluntate mensurari, mensurauit; Incredibile, inter circumsessa frigora, non algere, id tamen assecutus est, vt asperas brumæ procellas toleraret simul ac tolleret; ab ipsoque gelu prognatis in se ignibus, hostiles copias, redigeret in mortalem Cinerem, Non est quod classico Martio, Seuerum Roma suum prædicet, per niues & gelidatas pruinas, aperto capite ambulantem: Fama hæc, fregit in VLADISLAO vires suas, qui debito Patriæ amore, merito Barbariæ inardescens odio, tàm feliciter ac fortiter, superauit Moschicam hyemem, vt bellacissimi quoq; Hephæstiones Lechici, virtute illâ inflammati, coniuratam in hostem inirent sponsionem. Experta quidem sæpiùs Moschouia, clade suâ, Polonæ fortitudinis argumenta, sed fortunam ante, suis conatibus obliquam, placari posse spe audacter temerariâ credidit; At sensisset Fædifraga, quàm vltrix instet perfidis à tergo pæna, nisi Serenissimus VLADISLAVS triumphatis hostibus, nouam in mediâ victoriâ, iustæ iræ suæ, ordinâsset victoriam, & nisi inimici sanguinis, lamentabilem eluuionem, clementiæ Vladislauianæ, imprecatio repressisset, deprehensus inter suas munitiones hostis, cruentum cum ipsis moliminibus naufragium subiuisset. Tùm patuit quanta illius Regalis Aquilæ esset Potentia, ad cuius vnicam pennam, tàm multa hostilium plumarum extabuère agmina. Habet ipse Mars, quod VLADISLAO nostro inuideat, qui vir-

tute & fortunâ suâ, ita compressum occlusit hostem, vt numero viribusque longè maior, dùm neces spirat nostras, adigeretur ad suas, vndique dolendus, nisi maluisset V L A D I S L A V S donatâ hosti vitâ, relinquere tales, qui Orbi prædicarent, nouam fortitudinem, & nouam vincendi sine cæde originem. Multa fateor in illo conflictu, raræ magnitudinis edita sunt argumenta, sed nihil æquè hosti ipsi, ac Orbi mirùm fuit, quàm cùm à V L A D I S L A O fieri vidit, quod facturus ipse non erat, si vicisset. Profectò prodigij instar est, victoriam continere, gladiumque felicem, cuius infecti semel (teste Seneca) vecors libido est, intra modestiam frenare; Prodigij est, trophæis non insolescere, & per bella hostes ad genu deprimere malle, quàm opprimere. Maximum hoc in magnis est, & magnificum animi temperamentum, in impotentes, potentiâ non abuti, neque pacem violatam sanguine resarcire: Aurea vox Marcelli Romani Triumphatoris, ita decere (inquientis) Ducem Romanum, qui Tyrannus esse nollet, vt dùm manibus hostilem fundit sanguinem, ex oculis vnà lacrymosum fundat imbrem. At V L A D I S L A V S noster eo insuper Marcellum superauit, quòd superatorum sanguine abstinuerit. Profusa hæc nimiùm liberalitas, Victorem victo non insultare, & potentiam à licentia discernere: Cœlestis quidam magnorum animorum est, ita agitari. Naturale est magis noua, quàm magna mirari. Vltrà naturam vtrumque in V L A D I S L A O enituit, cùm Draconem Moschicum, iugi impatientissimum, subiugauit, ex comminutisque illius spiris, Coronam sibi comparauit, præstantiorem longè, quàm, quæ Deorum simulacris, ex serpentum fuerunt concinnatæ exuuijs. Credidit ad genua V L A D I S L A I aduolutus in suo Sehino Septemtrio, à Marte illi ensem mutuatum, sed cum dexterâ simul: Credidisset veriùs esse vtrumque hoc in V L A D I S L A O, quòd Mars ipse posset deriuare. Hydra noua, noui Herculis, nouas artes est experta; In hoc tamen fortunatam se reputare potest, quòd clarior Orbi, cladê suâ sit effecta. Eat nunc Cycada, obstrepat Suetico huic Leoni, Draco cum Aquilâ Lechæâ depugnat; Noctua Borealis, soli appropinquet V L A D I S L A O, satis gloriosùm est Moschouiæ ob cladem magnam, à Magno V L A D I S L A O illatam, vbique magnam diuulgari. Non eges Phidiâ Serenissime V L A D I S L A E, vt in scuto Palladis Palmarum Tuarum exprimat monumentum. Nomen tuum Sculptor Æternus

nus

nus eſt, quod famam Tibi in decisis hoſtium ceruicibus, ferali ſtylo exarauit. Sed non hic VLADISLAVIANÆ fortunæ finis; iterùm à gelidis frigoribus, ad igneos æſtus, à calcato Septemtrionis Tyranno, ad calcandum Orientis faſtum, incitatis prouolauit paſſibus: Verè Regũ Maximus, & Solus, qui ſolis ſpirabat victorijs; Solus inquam, qui triumphalibus ſemitis, non reptabat per clypeos, ſed per detrita Monarcharum ambulabat capita: Nempè nuſquam fortiſſimis ceruicibus expeditius ad gloriam iter, quàm cùm per depreſſas gradiuntur ceruices Tyrannorum; nunquam eminentior Maieſtas, quàm cum ruinis ſubſtruitur æmulorum. Feſtinabat Rex iſte, victoriarum peritiſſimus, vt nullam à præclaris auſibus habendo vacationem, nuſquam animum ab inſigni Militia exauctoraret. Prodierat verò tunc è latebris nouus Thracum Anguis, à nouo hoc Hercule elidendus; Prodierat Monſtrum Moſchouitico truculentiùs, Amurathes cum ſuo Abaſſio, in caueam perennis ignominiæ coarctandum. Fatale iam olim Amurathibus VLADISLAVIANVM Nomen eſt, ex quo, Magnus ille ad Varnam VLADISLAVS, poſtquam Amurathem Turcam cecidit, in medio ætatis ac triumphi, cecidit; perculeratque noſtro æuo alterum conſimilis ferociæ Barbarum, conſimilis miſeriæ euentus, à VLADISLAIq; Nomine, ſiniſtro ſumpto omine, adeò conſternauit vniuerſam Othomaniam, vt vix dùm, ad arma progreſſo in ipſo belli procinctu, omnium exanimaret animos. Nec defuerant quidem VLADISLAO alia hoſtem debellandi genera, ſed dotem primam, Regum Clementiam ſecutus; oſtendit ipſo facto, Maximos quoſque ad vltionem eſſe lentiſſimos; & ſatis habere illud ad Regiæ Maieſtatis decus, ſi timore conſternatos aduerſarios, ferro non ſternant. Verè Sceptrum VLADISLAI fulmen fuit, quod in fortia exercendo fortitudinem, imbellia bello non laceſſiuit. Felix Amurathes, qui Illo regnante ſe euaſiſſe gloriari poteſt; Sed niſi ad genua Regis tanti, ſupplex, pace poſtulatâ, procidiſſet, occidiſſet. Felix & Poloniæ Aquila, quam ſub Gentilitio VLADISLAI Manipulo, & felicibus lauris ſecuram, Aſiatica nunquam tetigere fulmina. Optimè verò, poſt tantos è domito vtroque Orbe triumphos, VLADISLAVS Noſter Auſtriacos proſpexit toros, & dexteram militaribus hucuſque aſſuetam gladijs, ſponſalibus applicauit annulis, vt cum Auſtriacâ Imperatorum tæniâ, Regalis coniunctus

iunctus Manipulus, Feliciores deinde in Faſciâ hac, ruinatus conti-
nuaret Faſces; Et reuera ſiniſtrum ſtatim Thraciæ fuit Regale hoc
Connubium, ad cuius hymenæum præcinente S T A N I S L A O
K O N I E C P O L S C I O, fatales ſaltus in Abaſſio, ducere coacta
eſt. Dùmque Orbem totum armis amplecti vult, ab orbiculari hoc
auſu, ad perpendicularem caſum, detracta eſt. Atque hæc prima
fuit hoſtia, quæ ad Maritales Principis noſtri aras cecidit, & terram
ſanguine ſuo purpuratam, reuulſis à ceruice oſculis, cruentauit: Fa-
ctuſque fuiſſet præda auſpicatiſſimæ huius connubialis catenæ, niſi
emendicatâ pace, abire, quàm perire maluiſſet. Alta exinde Ter-
ris Sarmaticis Pax, & veluti ſopito vndique orbe, perennis Quies;
Aureum quodammodò rediiſſe nobis viſum ſæculum, dùm Rega-
lis iſte Manipulus, Auſtriacâ incinctus Vittâ, in tàm pulchram Pa-
cis effloruit meſſem. Vt verò feliciorem daret gloriæ prouentum,
placuit eum illius agri adſerere areolis, qui, (Deo ipſo Teſte) eſt
Hortus concluſus; vt ita gratiùs, ad præſentis gloriam, futuri ſæculi
herbeſceret memoriam, ſi comes ſibi iungeretur, ille tanti Horti di-
gnus *Flos de Radice Ieſſe*. Nunquam credo iuſtiùs Chriſtus dici potuit
Flos campi Poloni, quàm excolente hunc campum VLADISLAO,
ſub cuius triumphali manu, in eas quoque, quibus faſtiditus erat, o-
dorem, tranſmittere cæpit regiones. Eat incompta illa bellatrix
Semiramis, inſano delirio, imparem terram rata delicio, pendulum
in aëre effingat hortum; aggerat ſuper prodigioſæ Vrbis cacumina
humum, vt veluti ex humata ſepultaque vrbe, viua meliùs exurgat
voluptas; diſponat alter ille effæminatus Imperator Heliogabalus
floreas in lecto cohortes, & odorum in Regali toro hauriat ſomnũ.
Feliciùs V L A D I S L A V I V S cum Deo Flore quieſcit Manipu-
lus, melioremque virorem, ab immarceſcibili eius trahit æternitate.
Non miror iam, ſi tot partis laureis Orbi demùm Polono etiam
ſuam intulit oleam, & veluti compreſſam ſanguinis eluuie, poſt bel-
licum cataclyſmum, pacatam Sarmatiæ reddidit malaciam: quia
primum ſemper in illius Faſcibus Natiuis, Diuinus ille *Verbi incarnati*,
locum habuit *Ramus*, à Columbino ſpiritu, in Virginalis vteri Ar-
cam, ſub veſperam occidui mundi allatus. Perrupiſſes etiam VLA-
D I S L A E hoc præduce ad ipſas Cocyti domos, & meliùs quàm
Æneas, auratâ triformis Hecatos fronde, Tu pacato vniformis Tria-
dis hoc Ramo, Auernalia clauſtra euiciſſes: niſi triumpho hoc di-
lato

lato Æternum Numen, ſatis duxiſſet, quòd Cerberum Hæreticum
terrueris, & collectam Thorunij pallidarum vmbrarum, ad ſolem
Iuſtitiæ impalleſcentium phalangem, repreſſeris nonnihil, cùm pel-
lere nequiueris. Appendebat olim, fabuloſa vetuſtas, poſtibus
porticibuſque falſorum Numinum, votiuos herbarum faſces; Illiga-
bat ſerta; Victrices deferebat coronas; Feliciori commento Sereniſ-
ſimus V L A D I S L A V S Manipulum ſuum vni deuouit Deo, Im-
perioſoſque Faſces, ante illum portari fecit Conſulem, qui æterna re-
git Fidelis Romæ Capitolia: Percurrite CLAROMONTANAS,
BORKOVIENSESq; in Maiori Poloniâ Deiparæ Ædes, vtro-
bique, tàm illic in Montibus, quàm hîc in ſyluis, vernare ad gloriam
Dei, Diuæque Matris V L A D I S L A V I A N V M cernetis Mani-
pulum; Primumq; eſſe, qui vti Regnum dignitate, ſic Regni Tem-
pla pietate illuſtret, & compleat. In BORKOVIEN. Virginis M A-
R I Æ Imaginem, præcipuè eo elatus animo, vt illi Proprætori Nu-
minis, Romano Pontifici V R B A N O V I I I. acclinari auſus ſit,
quò emerita hæc Statua, digniorem in Roſtris Eccleſiæ ſortita lo-
cum, magìs Plenario frueretur Indulto. Rupit interim profundam
hanc pacem, ſoluitque Fatum, dùm reuinctâ à Feliciſſimo hoc Ma-
nipulo Faſciâ Auſtriacâ, Coniugem ad tumulum faciauit C Æ C I-
L I A M: Cuius locū cùm GALLICA occupaſſent LILIA, & pulchro
nexu Regalibus ſe Faſcibus adnexuiſſent, non diu liliato hoc quo-
que occidente contextu ferali, per Parcam inſtitutum eſt diuortium;
quò medias inter Majj Eteſias, inopino caſu V L A D I S L A V I A-
N V S concidit Manipulus. Et hic demùm funeſtæ illius Tragœ-
diæ, flebilis eſt Epilogus, quam ferox Libitina, in Coniuge cæptam,
in Filio proſecutam, in Patre demùm, Marito ac Rege, (ſatis iam
benè præexercitis viribus) ferali cataſtrophe continuauit. Non
opus credo te Sarmatia ad Parentalem euocare luctum! Sentis
malo edocta Tuo, Quem amiſeris: Cum ſucciſo hoc Regali Mani-
pulo, amputatur ſimul optata Pax, & populati cruento Marte, ſte-
rileſcunt, nec vltra in nouos Manipulos exurgunt, Campi! Abſtu-
liſtis nobis aduerſa Fata optatam Quietem, cùm Sereniſſimum
V L A D I S L A V M in æternam tranſtuliſtis Quietem! & eâdem
vmbrâ, quâ Regalem hunc, inter vmbras pepuliſtis Solem, lugu-
bri bellorum caligine, publicam quoque atrauiſtis Serenitatem. Ah
immanitatem! eadem vrnâ V L A D I S L A V M, & noſtram tu-

mulamus pacem! ijſdemque lacrymis, Regia & Patria deflemus, vtinam & mergamus, Fata! Mittimus in terram non ampliùs in nouum VLADISLAVM, renaſciturum Regalem Faſciculum, cum quo & lætitiæ, & meſſis, extremam ſpem inimicis concludimus glebis. Heu dignam omnibus nænijs iacturam! Si poſt hanc, flebilium vndarum acceſſionem, renauigare ſemel auectus vellet VLADISLAVS! Fleamus tamen hoc ipſum damnum, quod nulla vlteriùs recuperandi exſtet ſpes, habeatque noſter mæror, hunc vnum modum, quòd mæreat, ſine modo;

Magnus enim ſibi ipſi non facit finem dolor.

